

13. Ueber Stände und Gewerbe in England.

Die Handschrift des Britischen Museums Add. 8167 enthält nach der Summa des Guido (Arch. IX, S. 491) fol. 88—90' von einer Hand des 14. Jahrhunderts folgende in England verfasste, aber allgemein interessante Auseinandersetzung.

Personarum quedam sunt ecclesiastice quedam seculares, et tam harum quam illarum quedam sunt superiores, quedam inferiores, quedam infime. Superiores sunt vero dominus papa, archiepiscopi, episcopi, abbates, priores. Inferiores sunt vero archidiaconi, decani, officiales, persone, vicarii. Infime sunt presbiteri parochiani, summonitores et simplices clerici. Superiores seculares imperatores, reges, comites, duces, barones; inferiores sunt justiciarii, vicecomites, constabularii, forestarii, viredarii, miles, burgenses, libere tenentes. Infime sunt bedelli, rustici, sutores et omnes officarii, sive ministri sive ministrelli, tam urbani quam rurales. Si superior persona scribat inferiori, superior debet preponi per nominativum casum, inferior postponi per dativum casum. Si inferior persona scribat superiori, superior debet preponi per dativum casum, inferior postponi per nominativum casum. Si autem par scribat pari, ut miles militi, burgensis burgensi, uterlibet potest preponi alii, set causa benivolencie captande in litteris petitionis solet ille cui scribitur preponi per dativum casum. In omni petitione facta superiori vel pari debet petitus pluraliter designari.

De literis vero creditoris primo dicere proponemus, quod creditorum quidam¹⁾ sunt urbani, quidam¹⁾ rurales. Urbani vero vinetarius, pannarius sive drapparius, piscator, carnifex, auceps, pistor, pastillarius, flaonarius, aurifaber, zonarius, cerotecarius, cellarius, allutarius²⁾, cordevanarius, corvesarius, husuarius sive ocrearius, loremarius, pelliparius et consimiles. Et de unoquoque istorum suo loco dicemus.

Vinetarius vinum habeat Andegavense, Gasconense, Francense, Avernense, vinum raspatum et eduarizatum (?), saxifragiatum, pigmen(ta)tum, claretum, exustum, piretum, acetum, siseram, medum sive ydromellum. Item vinitarius vendat vinum per modios, per dolea sive tonellos, per pipas, per sextaria, per dimidium sextarium, per lagenas sive galones, per potellos sive floreos³⁾, per quartas, per pintas, scilicet dimidias quartas. Iterum vinitarius habeat in cellario suo utres, cados, infusoria sive intonellaria, clepsedres sive dusellos, costrellos, alvealos, pulanos, tabulum sive penetralium sive persorium.

1) quedam die Abschrift, die übrigens nicht überall ganz deutlich war. 2) alut. hier die Hs. 3) über f und o scheint g und a übergeschrieben zu sein.